



F<sup>ide</sup>lissimus filius fuit illustrissimi principis Ioannis Palatini Simmerensis, nepos Ioannis, pro nepos Friderici, abne<sup>ps</sup> Stephani, qui à Ruperto rege & Palatino electore prognatus erat. Hūc prudenterissimus pater Ioannes melioribus literis à tenebris annis imbui, atq<sup>ue</sup> paulatim omnis generis uirtutibus institui curauit. Itaq<sup>ue</sup> factum ut pietate & prudenteria insignis princeps factus fuerit. Cum autem pater postea ætate grauaretur, Fridericum filium negotijs præfecit, atque eius dexteritate res maximas peregit, hinc factum ut Fridericus adhuc adolescentis principibus innotuerit, atq<sup>ue</sup> in comitijs magnam sibi autoritatem compararit. Ex illustrissima quoq<sup>ue</sup> Marchionum Brandenburgensium familia uxorem duxit, atque multorum principum amicitiam ea affinitate conciliauit. Postea cum pater anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo moreretur, ipse ei successit, & suos subditos magna prudentia administravit. Interea factum ut etiam Otto Heinricus Palatinus elector fato fungere<sup>t</sup>. Itaq<sup>ue</sup> cum omnes eius fratres & patrui, ipsiusq<sup>ue</sup> Ludouici Barbari Electoris atque Ruberti regis filij posteritas, ante ipsum uita functi essent, præter omnium opinionem multarum regionum administratio, ipsaq<sup>ue</sup> Electoralis dignitas, ad ipsum Fridericum proximum agnatum deuoluta fuit. Itaq<sup>ue</sup> anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo sub autumni tempus Elector inauguraratur, atq<sup>ue</sup> magna subditorum gratulatiōe suscipitur, cum natus esset annos circiter quin draginta quinq<sup>ue</sup>.